



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXXII. Quanto bono & ornamento Ecclesiae sint suae ceremoniae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

rauit ex imis præcordijs gratias agamus: Vt autem ad hoc faciendum vehementius excitemur, in particulari harum constitutionum utilitatem & dignitatem contemplemur.

CAPVT TRIGESIMVM
SECYNDVM.

Quanto bono & ornamento Ecclesie sint sue ceremonie.

Prima classis constitutionum Ecclesiasticarum, ceremonias concernit, quæ nihil aliud sunt, quam actiones quædam exteriores, & religiose ad cultum diuinum, & spirituale animæ profectum ordinatæ. Omnia autem cæteris, de ijs solû agemus, quæ ad solemnitatē Sacramentorû, & Sacrificij Missæ exornandâ sunt instituta: Neq; tamen has omnes, quod longum nimis foret, sed earum præcipuas pertractabimus.

Inter quas primæ sunt, quæ in Baptismo adhibentur; eæque in duplici differentia, quædam enim ad instructionem baptisandi, aliæ ad exercisandum

*D. Thom.
p. 3. q. 71.*

Ceremonie Baptismi.

dum pertinent. Ut autem à primò ordiamur, & utilitatē, antiquitatem, & sanctitatem harum cæremoniarum ostendamus, dico, Ante omnia baptisandus, si adultus est, & ad annos rationis peruenerit, catechisandus & fide docendus est; iuxta mandatum Domini, Apostolis suis dicentis: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti docentes eos seruare omnia, qua mandauimus vobis*: Atque ita Petrus ips, qui ad festum Pentecostes conuenerant, prius fidem, & pœnitentiam annunciat, postea baptisma conferri posse dicit. Et similiter Philippus diaconus Eunuchum candacis reginæ, primò catechismo efformatum, baptisat: Quod ipsum continuo vlu vsque ad nostra tempora sancta mater Ecclesia practicauit. In more etiam erat frequenter frontes cathecumenorum crucis signaculo munire, vt ex Dionysio. Areop. Cypriano alijsque patet: Vnde Ambrosius inquit, *Cathecumenus Crucem Domini, qua frons eius signata est credit*: Præterea, Sathanæ, pompis que huius mundi iuxta vsum primitiuæ

Matt. vlt.

Marc. 16.

Actor. 2.

Ibid. 8.

Dionys. de

Eccl. Hie-

rar. f. 2.

Cyprian.

ep. 56.

Ambros. l.

de ijs qui

inito.

mitiuæ

mitiæ Ecclesiæ renunciabant, ut
 betur ex Cyril. Hierol. & Dionysio
 Item fidem profitebantur, Symbolum
 recitabant, ut ex iisdem colligitur. In
 baptismo autem paruulorum eadem
 omnino omni tempore in usu fuerit
 ut Dion. Iustin. & alij Patres testan-
 tur, ut cum pro seipsis respondere ne-
 queant, Patrini eis assignabantur, qui
 ad interrogata responderent, & se par-
 uulos cum ad usum rationis peruenis-
 sent fidem edocturos promitterent.
 Post catechismum sequitur Exorcis-
 mus, cuius Dion. & August. memine-
 runt; nam ratione peccati originalis
 diabolus ius quoddam in paruulos
 habet, ideoque ut tali potestate exua-
 tur, ac de sua possessione fugatur; exor-
 ciscandi sunt: Primò itaque contra
 Aduersarium insufflat sacerdos, & in-
 sufflando, ut docet Augustin. immun-
 dum spiritum tam ab adultis, quàm à
 paruulis fugat: Imitatus in eo Salua-
 torem, qui Dæmonium quoddam de
 oblesso corpore eieclurus contra il-
 lud sufflauit.

Secundo ijs manus imponit, & cum
 maximo fructu benedictionem im-
 parti

Dion. c.
vlt.

Iustin. q.
56. ad or-
thod.

Dion. c. 2.
Aug. de Ec-
cles. Dog-
mat. c. 31.

partitur, nam hac manuum impositione & oratione, ut vult August. eos sanctificat, & efficit, quo minus malignus spiritus redire audeat. Tertio, sal in eorum os dimittit, ut mystico sale sapientiae conditi, à fetoribus iniquitatum, & putredine, ac verme peccati liberentur, ut docet Rabanus. Quarto, salina sua os, auresque eorum madefacit, in signum quod doctrinam fidei audierint, & confessi sint, quod fit, ut inquit Ambros. & August. ad exemplum Domini, qui surdum & mutum sanaturus, salina sua os, auresque eius illiuit. Quinto, sacro oleo in pectore & inter scapulas inunguntur, idque iuxta doctrinam Ambros. ut magis idonei sint ad decertandum cum spiritualibus illis inimicis: vel ut habeant corpus purum ad malas cogitationes rejiciendum, & humeros fortes ad quavis aduersa perferendum, cuius caeremoniae inter ceteros Basil. & Origi. meminerunt; ex quibus patet, quanto tempore Ecclesia his caeremonijs usa sit. Atque hae sunt caeremoniae, quae baptismum praecedunt, sunt & alia, quae sequuntur; Nam baptis-

Aug. l. 2.
de Pecc.
mend. c.
26.

Raban. l.
1. de Inst.
cleri. c. 26.

Amb. l. 1.
de Sa. c. 1.

Aug. trac.
44. in Ioa.

D. Thom.
P. 3. q. 71.
Vid. Fran.
Suarez.

Hieron.
Dial. cōtr.
Lucif.
Tert. de
Bapt. c. 7.
Ambr. l.
2. de Sa-
cram. c. 7.

Raban.

Greg. Naz.
Orat. 5. in
Baptisma.

to vertex capitis à sacerdote chrisma-
 te inungitur, vt virtutem conseruandi
 gratiam consequatur, vt docet Ange-
 licus Doctor; siue hoc fiat per mo-
 dum impetrationis, seu tanquam pro-
 prius effectus vñctionem illam se-
 quatur; quicquid enim de illo sit, cer-
 tissimum est, vsus huius cæremoniz
 antiquissimum esse, cuius vt alios o-
 mittamus Tert. Ambr. Hieron. cle-
 rissimè mentionem faciunt. Præterea
 recenter baptisatus, seu Neophitus
 veste candida induitur, aut velo can-
 dido tegitur, vt Dion. Ambros. &
 Augustin. dicunt; idque vt nota-
 uit quidam doctor, ad significan-
 dum candorem animæ, & vitæ purita-
 tem quam baptisati ingrediuntur; ac
 que vt huius rei meliorè memoriã ha-
 berent, vsus obtinuit, vt hanc vestem
 à Sabbatho sancto vsque ad Domini-
 cam pascha insequentem gestarēt; quæ
 ex eo Dominica in Albis nomina-
 tur.

Refert adhuc aliam cæremoniam
 Greg. Nazian. vt enim doceatur fidè
 viuam habere, & conseruare, accen-
 sus cæreus ei in manuum datur. Præ-
 terea

terea docet Hier. antiquitas, lac & Hier.
 mel, denotandæ spiritualis infantia
 causa, eis exhibere solitum fuisse; ide-
 oque in Dominica in Albis ad Introi-
 tum, aut canitur, aut legitur, *Quasi
 modo geniti infantes lac concupiscite:*
 Quæ quidem cæremonia continuum
 usum non obtinuit: Benè tamen illa,
 qua unicuique suum nomen imponi-
 tur; non solum, ut per hoc baptisatus
 à cæteris distinguatur, sed etiam ut
 commoueatur baptismum alteram
 quasi natiuitatem esse, ac ferenatum.
 Hæ itaque cæremonia in baptismo
 adhiberi solita, sunt ab ipsis Aposto-
 lis aut saltem Apostolicis viris, qua-
 rum uti magna est dignitas, ita præ-
 stat utilitas; nam ut diximus sacramen-
 torum occulta mysteria explicant, fi-
 dem augent, deuotionem excitant,
 malos spiritus fugant, & gratiam
 baptismalem conseruant: Ideoque
 prudenter Conc. Trident. hanc legē
 fixit, *Si quis dixerit receptos, & appro-
 batos Ecclesie Catholica ritus, in
 solemni SACRAMENTORVM admi-
 nistratione adhiberi consuetos, aut*
 contem-

Cōc. Trid.
 Sess. 7. de
 Sac. in
 gener.
 Can. 13.

Contemni, aut sine peccato à ministris pro-
 libitu omitti aut in alios novos per qu-
 cunque Ecclesiarum pastorem mutari
 posse, anathema sit. Haudquaquam tra-
 que cum per tempus & oportunitate
 licet, ea omittenda sunt: quamvis e-
 nim baptismus de se sufficiens sit, ut
 saluet baptisatum; amen eidem iniu-
 ria magna irrogatur, si integer adhuc,
 & fortis sit, cuique ceremoniæ adhi-
 beri possint, & tamen earum auxilio,
 & subsidio priuetur: Ideoque paren-
 tes, qui liberos suos hoc rituum Eccle-
 siasticorum cumulo, & quasi adba-
 ptismum accedente corollario fru-
 strantur, aut nimium differunt eius
 collationem procurare, meritò gra-
 uiter reprehendendi sunt, & à Deo
 puniri merentur, imò punientur si-
 ne dubio, nisi fortè legitimis quibus-
 dam de causis excusentur.

*Obligatio
 Patrinorū.*

Patrinis autem incumbit, ut pro-
 missorum memores spirituales suos
 filios, quos de baptismatis fonte sus-
 ceperunt, in articulis fidei & morum
 regulis diligenter instruant, aut per
 idoneos instrui faciant: Neque enim
 leue delictū erit, post tam solemnera
 pro

pro paruulo sponſionem, promiſſis ſuis non ſatiſfacere; nam exiget Deus ab eis, ſicut & à parentibus, exactiſſimam rationem, ſi in hoc debito perſoluendo muneri ſuo defuerint, aut negligentiores exſtiterint.

Deplorandum ſanè eſt, & fonte la- *Ignoran-*
chrymarum digniſſimum cernere *tia quorũ-*
vulgus Chriſtianorum adeo tenuiter *dum Chri-*
res fidei edoctrum, vt plurimi eorum *ſtianorũ.*
fidei Symbolum ignorent: Quid Sym-
bolum dico? etiam orationem Domi-
nicam neſciant: & quod omnia ſupe-
rat, latet plurimos, num animam ra-
tionalem & immortalem habeant, nũ
vnus Deus, an plures ſint.

O malum! Sed cui hoc malum, niſi parentibus, patrinis, & erudiendi po-
pulum curam habentibus, imputari poterit: Ipsi itaque viderint, quid Deo respondeant.

Scio replicari poſſe, Multos tam iu-
niores, quam prouectæ ætatis Chriſti-
anos: ſupina quadam negligentia ea
non diſcere, quæ alijs eos docere para-
ti ſunt: alios autem ea, quæ iam didi-
cerunt negligere, nec flocci facere,
num ſe, ſuosq; patrilinos à promiſſio-

ne in

Præcep.

ne in baptismo facta exsoluant. Fa-
 teor enim proli dolor, hæc nimium
 vera esse, ideoque omnibus & singulis
 denuncio, tam patrinatorum in docen-
 do negligentiam, quam aliorum in
 discendo contemptum, aut exequen-
 do neglectum, acribus poenis a Deo
 castigatum iri. Nam fidem, virtutem
 que Christianam se amplexuros pro-
 miserunt: Sathanæ & omnibus eius
 pompis renunciarunt: Audiant ita-
 que in genere omnes & speciatim
 singuli Ambrosium, ita tonantem,
Ambr. l. 1. Venimus ad fontem ingressus es: consi-
de sacr. 6. 2. dera quos videris, quid locutus sis: ubi
promiseris considera, vel quibus promiseris.
chirographum tuum tenetur non in terra,
sed in caelo; quasi dicat, Quamuis pro-
 missio facta in baptismo non sit vo-
 tum: est tamen vitæ Christianæ pro-
 fessio, quemuis Christianum ad Chri-
 stianè viuendum obligans.

Atque hæc de cæremonijs baptil-
 mi, & earum obseruatione dicta suf-
 ficiant: cæterorum autem SACRA-
 MENTORVM singulis percurrere
 nostram breuitatem excedit. Attamè
 pro

pro illarum dignitate, & excellentia in genere aduerte, eam magnam esse, ab eodem enim principio, à quo illæ de quibus diximus procedunt, scilicet Spiritu sancto, & in eundem finem, qui est honor Dei, & Christianorum spirituale bonum tendunt. Transeamus itaque ad sacrificium Missæ, eiusque vtilissimas & maiestate plenas cæremonias videamus.

CAPVT TRIGESIMVM
TERTIVM.

De pulchris & laudabilibus cæremoniis, quæ in Sacrosancto Missæ sacrificio exercentur.

SVppositis ijs, quæ de Institutione missæ, eiusque fructibus alibi diximus; hic eas cæremonias, quibus eam Apostoli & Ecclesiarum Prælati exornarunt, & quasi vestierunt pertractabimus. Pro fundamento autem tanquam evidens, & extra omnem controuersiam positum, asserimus licuisse Ecclesiæ aliquas cæremonias circa sacrificium hoc instituere, & præter